

Dissertatio inauguralis physica sistens dijudicationem systematum animalium mammalium ... / [Johann Christian Polycarp Erxleben].

Contributors

Erxleben, Johann Christian Polycarp, 1744-1777.
Kaestner, Abraham Gotthelf, 1719-1800.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Gottingae : Typis Schulzianis, [1767]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wyme277d>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

61407/9
DISSERTATIO INAUGVRALIS PHYSICA

SISTENS

DIIVDICATIONEM SYSTEMATVM
ANIMALIVM MAMMALIVM

QVAM

IN ALMA GEORGIA AVGVSTA
AMPLISSIMI PHILOSOPHICI ORDINIS CONSENSV

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
ABRAH. GOTTHIELF KAESTNER

CONSIL. AVL. REG. MATH. ET PHYS. P. P. O.

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
LEGITIME OBTINENDIS

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS
IOANN. CHRISTIAN. POLYCARP. ERXLEBEN

QVEDLINBVRGENSIS SAXO.

D. V. MAH A. R. S. cl3 15 CCLXVII.

GOTTINGAE

TYPIS SCHVLZIANIS, CVRANTE FRIDER. ANDR. ROSENBV SCH.

78

DISERTATIO IN VITAM ANTONII
MAGNI

DIAGNOSTICUM SYSTEMA
ANATOMIAE MAMMARYAE

IN ALMA MATER AVGVSTIA
VITAE ANTONII MAGNI

AVGVSTIAE
VITAE ANTONII MAGNI
VITAE ANTONII MAGNI

VITAE ANTONII MAGNI
VITAE ANTONII MAGNI

315545



WELLORE HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

WELLORE HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

WELLORE HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO

D O M I N O

GERLACO ADOLPHO

L. B. DE MÜNCHHAVSEN

DYNASTAE STRAVSFVRTHI

RELIQVA

SACRAE REGIAE MAIESTATIS BRITANNICAE

CONSILIARIO INTIMO ADMINISTRO

STATVS PRIMARIO

CAMERAE REDITVVM PVBLICORVM

PRAESIDI

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

CVRATORI MVNIFICENTISSIMO

MAECENATI LITTERARVM INDVLGENTISSIMO

DOMINO SVO LONGE GRATIOSISSIMO

RERVM SVARVM STATORI

SPECIMEN HOC ACADEMICVM

DEVOTISSIMA MENTE

CONSECRAT

IOANNES CHRISTIANVS POLYCARPVVS ERXLEBEN,



DISSERTATIO INAUGVRALIS PHYSICA
SISTENS

DIIVDICATIONEM SYSTEMATVM
ANIMALIVM MAMMALIVM.

§. I.

Systematicae Naturalium cognitionis praeflantiam, vel plurium in Historia naturali systematum vtilitatem ingentem ostendere in praesenti haud placet, neque eorum laudes exponere lubet, qui vti immortalis CAROLVS eques auratus DE LINNE *a)*, ill. RVDOLPHVS AVGVSTINVS VOGEL, praeceptor in aeternum deueniendus

a) CAROLI LINNAEI *Classes plantarum*, Leid. 1738. 8.



randus *b)* atque celeb. CAROLVS AVGVSTVS DE BERGEN *c)* varia haec systemata colligere atque inter se comparare aggressi sunt. Animus potius est, statim scopo satisfacere, cumque in Mammalium historia simile quid nondum praestitum sit, systemata variorum auctorum explicare atque diiudicare.

§. II.

Antiquissimum omnium systematum, ARISTOTELEM, Historiae naturalis parentem, agnoscit fundatorem. *d)* Hic enim diuidit Quadrupeda in πολυσχιδῆ ἢ πολυδάκτυλα, *fissipeda*; δισχιδῆ ἢ δίσηλα, *bisulca*; & ἀσχιδῆ ἢ μώνυχα, *solidipedia* *e)*. In quo quidem non valde mirum videtur, primum Quadrupedum Systema ab eorum pedibus esse desumptum; cum non solum horum diuersitas facile cuiuscunque contemplantis oculis incurrat, sed & forsitan naturalis diuisio videri possit quae a pedibus desumitur, quia saepissime ista Quadrupeda pedum structura conueniunt, quae & reliqua natura vitaeque ratione similia inter se sunt. Non autem vere naturale, & a natura posse ex pedum differentia in his Animalibus construi, exinde patet, quod Sus in tali systemate cum ruminantibus iungendus sit, Camelus e contrario ab iis separandus, contra Naturae ipsius dictatricis leges.

§. III.

Sequuti sunt ARISTOTELEM in hac Quadrupedum dispositione omnes fere Historiae naturalis auctores, vsque ad immortalis gloriae dignum virum patriaeque suae decus IOANNEM RAIVM, Theolo-

- b)* RVDOLPHI AVGVSTINI VOGEL diff. terrarum atque lapidum partitio, resp. HEMPEL, Goett. 1762. 4.
c) Classes conchyliorum, auctore CAROLO AVGVSTO DE BERGEN, Norimb. 1760. 4.
d) Omittimus hic MOSIS diuisionem animalium nostrorum (Leuit. XI.) vel etiam NOAE (Genes. VII.), quippe quae magis adhuc recedunt a vero systemate, quam aristotelica.
e) Hist. Anim. Lib. II. cap. 1. edit. Dunallianæ Paris. 1654. fol. Tom. II. pag. 216.



logum anglum, Cuius merita uti per vniuersam fere Historiam naturalem permagna sunt, in Mammalium historia non minus aestimanda est eius opera atque systema, quod aristotelico quasi superstruxit *f*). Huius autem delineatio haec est.

Animalia vivipara pilosa seu quadrupeda sunt

1) ungulata

a) μονόχηλα, i. e. solidipeda

b) δίχηλα, i. e. bifulca, seu ungula bifida, quae vel

α) ruminantia, μηρυκάζοντα

Ν) cornubus perpetuis

Δ) cornubus deciduis.

Β) non ruminantia.

c) τετράχηλα seu quadrifulca.

2) unguiculata, quae pede sunt

a) bifido, duobus duntaxat unguibus donato

b) multifido, πολυσχιδή, quae sunt

α) digitis indiuisis sibi inuicem cohaerentibus & communitate tectis, eorum tantum extremis in margine pedis exstantibus & unguibus obtusis munitis

Β) digitis aliquousque separatis & a se inuicem diuisis, quae vel

Ν) πλατυάνυχα & άνθρωπόμορφα


Δ) unguibus angustioribus

a) dentibus analogis, quae eandem dentium formam & ordinem cum aliis aliquam multis obseruant.

A) incisioribus pluribus

B) inci-

f) Synopsis methodica Animalium quadrupedum & serpentini generis, auctore IOANNE RAIO. Londini 1693. 8. pag. 56. sqq.



B) incisforibus binis insignioribus.

- b) dentibus anomalis, quae a reliquorum norma ab-
ludunt & vel nullos vel sui generis dentes ha-
bent, cum aliis neque in figura, neque in di-
spositione conuenientes.

§. III.

Quod ad hanc dispositionem attinet Quadrupedum, maxime ideo laudandus est eius auctor praestantissimus, quod non ex solis pedibus desumserit methodum suam, sed & interdum ad dentes adeo respexit, quo fit, vt saepe ordines maxime naturales obtineat, vti ex. gr. Glirium ordo pene totus naturalis conseruatur. Attamen cum prima huius dispositionis fundamenta ex pedibus desumta sint, saepissime auctor loco naturalis methodi maxime artificialem venditauit, separando ex. c. Camelum a ruminantibus, suem a Talpa, Sorice, Erinaceo, cet.

§. V.

Emendare systema raianum aggressus quasi est IACOBVS THEODORVS KLEINIUS, ciuitatis gedanensis secretarius g). In eo autem praecipue a RATIO (§. III.) recedit, quod ad solos pedes respexit, nulla prorsus habita ratione dentium, quod in RATIO quidem laudauit. Est vero haec systematis Kleiniani clauis.

ORDO I. Vngulata

Familia I. Monochelon.

Familia II. Dichelon.

Familia III. Trichelon.

Familia IIII. Tetrachelon.

Familia V. Pentachelon.

ORDO

g) IACOBI THEODORI KLEIN Quadrupedum dispositio breuisque Historia naturalis, Lipsiae 1751. 4. mai.



● R D O II. Digitata.

a) *Pilosa* vel quadantenus (siue sint mere coriacea s. cataphracta. Omnia viuipara.)

Familia I. Didactylon.

Familia II. Tridactylon constanter in' anterioribus.

Familia III. Tetradaactylon constanter in anterioribus.

Familia IIII. Pentadaactylon constanter in anticis.

Familia V. Anomalopes (pentadaactylon) pedibus quibuscunque anserinis.

b) *Depilata* (siue tecta s. nuda, nequaquam pilosa; omnia ouipara).

Familia I. Testudinata.

Familia II. Cataphracta.

Familia III. Nuda

§. VI.

Laborat systema hoc Kleinianum omnibus istis vitiis, quae in quocunque systemate a pedum diuersitate confecto praesto sunt; at eo magis hisce vitiis laborat, cum strictius vngularum atque digitorum numero inhaeserit KLEINIVS quam RAIVS. Ordinis II. Sectionis a) *Familia* IIII. hac ex causa maxime dissimilia iungit Animalia, vti Leporem, Soricem, Mustelam, Erinaceum, Vrsum, Simiam. Elephantem male apposuit KLEINIVS vngulatis, cum vere vnguibus quinque instruantur eius pedes, non vero vngula vnica, quamuis proprie nulla carnis cutisue in digitos diuisio adsit. Animalia Quadrupeda, quae ouum pariunt, male admiscuit iis, quae animal pariunt, cum tamen ab iis recedant corde, sanguine, cute, coitu, generatione, habituque fere toto, in quibus conueniunt plane cum Serpentibus, monente iam summo RATIO b). Quodsi igitur omnia inter

b) Syn. anim. quadrup. pag. 51. & 54.



ter se comparamus, deterius potius reddidisse KLEINIVM Systema RAII, quam emendasse affirmare haud dubito. Quare eo magis miror, KLEINIVM operi suo sub fine addidisse verba RAII: *Qui post GESNERVM & ALDROVANDVM Historias Animalium & Synopses generaliter conscribere aggressi sunt, inquentis, nihil laude dignum praestitisse, nec sufficienti animalium cognitione instructi fuisse videntur. Quid alii de iis sentiant -- --, non multum morabor; mihi certe non satisfaciunt.* Haec enim RAIVS quidem summo iure effari potuit, non vero KLEINIVS, qui nescio in quo aequalis modo RATIO fuerit, ne dicam in quo istum superarit.

§. VII.

Recedit in vniuersum a praecedentibus omnibus linnaeanum systema, quod alii prorsus diuisionis fundamento, dentibus puta, superstructum est. Tutius vero a dentium, quam a pedum diuersitate systema strui horum Animalium, facile exinde iam patet, quod Animalia maxime cognata semper dentibus inter se conueniant, at saepe pedibus summo opere discrepent, quod inprimis Myrmecophagae atque Bradypi genera ostendunt, quorum species omnes dentibus inter se perquam similes sunt, cum digitorum numero contra valde inter se differant, quare etiam KLEINIVS eas in diuersos ordines disposuit coactus. Deinde etiam naturalis methodus Animalium praecipue eruitur ex istorum instrumentorum diuersa fabrica, quibus cibos suos hauriunt atque praeparant ad digestionem, id est, oris huiusque partibus, cum omnia ista, quae simili cibo vtuntur, uti ea, quae naturali ordine iunguntur, solent, etiam simili oris structura gaudere debent. Neque igitur mirum est, quod hactenus nullum Piscium systema existat naturale, cum numquam ad eorum os dentesque respexerint Ichthyologi systematici. Ex dentium autem diuersitate in Piscibus quoque elegantissimos ordines maximeque naturales obtineri posse, ipse expertus testor, cum Piscium genera ex hoc fundamento disponere inceperim. Verum cum optimi adeo Ichthyologi in descriptionibus suis Piscium neglexerint saepius dentium structuram



ram notare, nondum plane elaboratum systema in praesenti dare licet, quamuis in posterum in eo complendo omnem lapidem moturus sim, cum nullum praestantius vnquam elaborari posse systema certo certius mihi persuadeam.

§. VIII.

Systema ipsum Quadrupedum linnaeanum cum in variis Systematis naturae editionibus maxime mutatum atque emendatum sistatur, secundum has quoque differentes editiones explicandum atque diiudicandum erit. Primo autem sequentes quinque ordines Quadrupedum constituit perill. LINNAEVS i)

ORDO I. ANTHROPOMORPHA. *Dentes primores* vtrinque quatuor aut nulli.

ORDO II. FERAЕ. *Dentes acuti, primores* vtrinque sex, *canini* longiores.

ORDO III. GLIRES. *Dentes primores* duo vtrinque, *canini* nulli; *Mammae* octo ventrales.

ORDO IIII. IVMENTA. *Dentes* (ab ord. 1. 2. 3. 5. diuersi) anomali.

ORDO V. PECORA. *Dentes incisores* inferiores praesentes, superiores nulli; *canini* nulli; *molares* vtrinque. *Mammae* inguinales. *Pedes* vngulati.

§. VIII.

Suut tamen in systemate hoc primo linnaeano nonnulla quae monenda videntur, nempe

1.) Characterem ordinis primi, Anthropomorpha complectentis, nimis arbitrarium esse, adeoque & Elephantem secundum dentium suo-

i) CAROLI LINNAEI Systema naturae, Lugd. bat. 1735. fol. max.



suorum structuram necessario pertinere ad hunc ordinem, cum ipse LINNAEVUS *dentes incisores illi nullos esse dicat.*

- 2.) Iumentorum ordinem nil nisi confusum sistere chaos, intra quem omnia Animalia collocavit, quae alium locum inuenire haud potuerunt, quamuis inter se sint diuersissima.
- 3.) In caractere ordinis quinti male caninos dentes negari Pecoribus in vniuersum, vere enim adsunt in Camelo & Moscho.

§. X.

Emendauit auctor perill. methodum suam in editione sexta Systematis naturae k), sic, vt.

- 1.) Anthropomorphorum characterem arbitrium immutauerit (§. VIII. n. 1.)
- 2.) In nouo Agriarum ordine comprehenderit ista, quae antea non recte sub Anthropomorphis pugnabant.
- 3.) Ex iumentorum ordine (§. VIII. n. 2.) exclusit Soricem recedentem a ceteris.
- 4.) Vt emendauerit characterem Pecorum antea falsum (§. VIII. n. 3.)

§. XI.

Male tamen adhuc hoc in Systemate

- 1.) Soricem atque Didelphidem addidit Gliribus, a quibus toto coelo differunt.
- 2.) Iumentorum ordo adhuc genera comprehendit natura sua plane diuersa, vt Rhinocerotem, Equum, Suem,

Ipsius Systemati emendati haec delineatio est:

ORDO

k) Holmiae, 1748. 8.



ORDO I. ANTHROPOMORPHA. *Dentes incisores quatuor supra & infra. Mammæ pectorales.*

ORDO II. FERAE. *Dentes primores utrinque sex. Canini longiores.*

ORDO III. AGRIAE. *Dentes nulli. Lingua longissima cylindrica.*

ORDO IIII. GLIRES. *Dentes primores duo, prominentes.*

ORDO V. IVMENTA. *Dentes anomali a reliquis 1. 2. 3. 4. 6. diversi.*

ORDO VI. PECORA. *Dentes primores superiores nulli: inferiores sex aut octo. Pedes ungulati. Mammæ inguinales.*

§. XII.

Denuo emendavit systema hoc LINNAEVS in editione decima systematicæ sui Naturæ *D.* dum

- 1.) Iumentorum ordinem funditus deleuit, sic ut neque nomen amplius occurrat in sua methodo (§. XI. n. 2.).
- 2.) Novos ordines addidit tres, Bestias, Belluas, Cete. Priorum duorum Animalia antea variis in ordinibus dispersa erant, ultimus autem ordo inter Pisces olim relatus fuit, quamvis plane incongrue, quare ad hanc classem redactum esse ex lege Naturæ iure meritoque pronunciare audemus cum LINNAEO, quod iamiam olim RAIVS agnouisse videtur *m*).
- 3.) Totius huius classis nomen mutavit in Mammalium, quia Cetis non quidem conveniunt pedes quatuor, at omnibus hisce Animalibus mammae prolem nutrientes.

4.)

l) Holmæ, 1758. 8. Volum. 1.

m) Syn. quadrup. pag. 54. nec non in Syn. Pisc.



4.) Ordinum nonnullorum nomina quoque mutavit. Quae Anthropomorpha olim audiebant, nunc vocantur Primates, quae Agriae, nunc Bruta.

Ordines itaque octo comprehendit noua haec MAMMALIVM classis, quibus sequentes sunt characteres.

ORDO I. PRIMATES. *Dentes primores superiores quatuor, paralleli. Mammae pectorales duae.*

ORDO II. BRUTA. *Dentes primores nulli utrinque.*

ORDO III. FERAE. *Dentes primores superiores sex, acutiusculi. Laniarii solitarii.*

ORDO IIII. BESTIAE. *Dentes primores utrinque: intermediis distantibus. Laniarii semper vno plures utrinque. Nasus ultra os prominens.*

ORDO V. GLIRES. *Dentes primores, unus supra & infra, a molaribus remoti. Laniarii nulli.*

ORDO VI. PECORA. *Dentes primores superiores nulli: inferiores sex aut octo, a molaribus remotissimi. Pedes ungulati. Mammae inguinales.*

ORDO VII. BELLVAE. *Dentes primores obtuse truncati. Mammae duae inguinales.*

ORDO VIII. CETE. *Spiracula supra caput. Pinnae Pectorales caudalisque horizontalis absque unguibus.*

§. XIII.

Taxandum tamen etiam in hoc Systemate restat

1.) Vespertilionem esse ad Primates relaturn, cum & habitu, & dentium



tium structura *n*), & victu ex Insectis Animalibusque aliis proxime accedat ad Bestias. Notatu tamen dignum est, claviculis instrui hoc genus, quod ceteroquin soli Primatum ordini convenit.

2) Rhinocerotem vix posse inter Glires referri, a quibus toto habitu atque oeconomia recedit. Praeterea Praeceptor perpetuo colendus, ill. CHRISTIANVS WILHELMVS BÜTTNER dentes duo, quos LINNAEVS primores vocat, laniarios potius esse atque inter se distare affirmat, sic vt Animal vtrique laniarium habeat, nullos primores. Secundum quam obseruationem Rhinoceros etiam caractere conueniret cum Brutis, quibus similis est fabrica externa vitaeque ratione, quamuis etiam hac nonnihil accedat ad Bestias.

§. XIII.

Vltimum huc percensendum Mammalium Systema BRISSONII est, Historiae naturalis musei realmuriani demonstratoris *o*), cuius delineationem sequens tabula complectitur.

CLASSIS I. QVADRVPEDA. *Corpus pilosum saltem in aliqua sui parte. Pedes quatuor.*

Ordo I. Edentula.

Ordo II. Dentata, dentibus molaribus tantum.

Ordo III. Dentata, dentibus molaribus & caninis.

Ordo IIII. Dentata, dentibus incisoribus in inferiore maxilla tantum sex.

Ordo

n) LINNAEI Fauna suecica, edit. 2. n. 2.

o) Regnum animale in classes IX distributum a D. BRISSON. Le regne animal divisé en IX classes, par M. BRISSON, Paris. 1756. 4.



- Ordo V.* Dentata, dentibus incisoribus in inferiore maxilla tantum octo.
- Ordo VI.* Dentata, dentibus incisoribus in vtraque maxilla. Pedibus solidungulis.
- Ordo VII.* Dentata, dentibus incisoribus in vtraque maxilla. Pedibus bifulcis.
- Ordo VIII.* Dentata, dentibus incisoribus in vtraque maxilla. Pedibus terungulatis antice & postice.
- Ordo VIII.* Dentata, dentibus incisoribus in vtraque maxilla. Pedibus quaterungulatis antice, terungulatis postice; dentibus incisoribus duobus supra, totidem infra.
- Ordo X.* Dentata, dentibus incisoribus in vtraque maxilla. Pedibus quaterungulatis antice, terungulatis postice; dentibus incisoribus decem supra, totidem infra.
- Ordo XI.* Dentata, dentibus incisoribus in vtraque maxilla. Pedibus quaterungulatis antice & postice.
- Ordo XII.* Dentata, dentibus incisoribus in vtraque maxilla. Pedibus vnguiculatis: dentibus incisoribus duobus supra, totidem infra.
- Ordo XIII.* Dentata, dentibus incisoribus in vtraque maxilla. Pedibus vnguiculatis: dentibus incisoribus quatuor supra, totidem infra.
- Ordo XIII.* Dentata, dentibus incisoribus in vtraque maxilla. Pedibus vnguiculatis: dentibus incisoribus quatuor supra, sex infra.
- Ordo XV.* Dentata, dentibus incisoribus in vtraque maxilla. Pedibus vnguiculatis: dentibus incisoribus sex supra, quatuor infra.



Ordo XVI. Dentata, dentibus incisoribus in vtraque maxilla. Pedibus vnguiculatis: dentibus incisoribus sex supra, totidem infra.

Ordo XVII. Deutata, dentibus incisoribus in vtraque maxilla. Pedibus vnguiculatis: dentibus incisoribus sex supra, octo infra.

Ordo XVIII. Dentata, dentibus incisoribus in vtraque maxilla. Pedibus vnguiculatis: dentibus incisoribus decem supra, octo infra.

CLASSIS II. CETACEA. *Corpus nudum & elongatum. Pinnae carnosae. Cauda horizontaliter plana.*

Ordo I. Edentula.

Ordo II. Dentata in maxilla inferiore tantum.

Ordo III. Deutata in maxilla superiore tantum.

Ordo IIII. Dentata in maxilla vtraque.

§. XV.

In eo laudandus maximopere est BRISSONIVS, quod e dentium diuersitate composuerit suum systema; at vituperandus in eo, quod nimis scrupulosus tam ingentem ordinum cohortem constituerit ex leuissima dentium differentia, vnde non modo saepius vnicum genus totum ordinem efficit, veluti in Class. I. Ord. IIII. VI. VII. VIII. VIII. X. XI., sed & interdum maxime cognata genera nimium a se inuicem remouentur, vti genus Talpae, Erinacei atque Soricis. Displicet quoque, quod Cetacea in peculiarem classem coire iusserit auctor, quamuis id omni laude extollendum fit, quod remota a Piscibus prope Quadrupeda collocata sint.

§. XVI.



§. XVI.

Atque haec de Mammalium diuisione in ordines varia sufficiant. Quæ referri quadantenus etiam huc potest specierum ipsarum ad genera sua relatio a diuersis diuerse tentata, alio loco aliaque occasione diiudicabitur.



THESES.

I.

Naturalista chemiam ignorans nomine suo maxime indignus est.

II.

Systema regni mineralis, quod non uniuersum chemicis principiis fundatur, nullum est.

III.

In regni mineralis dispositione methodica terrae minime a lapidibus sunt segregandae.

III.

In regni mineralis dispositione methodica sedulo ad horum corporum formam determinatam respiciendum est.

V.

Diuisio Animalium in ouipara & viuipara mere artificialis est, quamuis saepe pro naturali venditetur.

TITRES

I

Principes de chimie, nomme le premier titre

II

Principes de chimie, nomme le second titre
de chimie, nomme le second titre

III

Principes de chimie, nomme le troisieme titre
de chimie, nomme le troisieme titre

IV

Principes de chimie, nomme le quatrieme titre
de chimie, nomme le quatrieme titre

V

Principes de chimie, nomme le cinquieme titre
de chimie, nomme le cinquieme titre